



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae, 1584**

**VD16 B 7375**

Cap. 1. De priuilegio & immunitate sacerdotum apud Ægyptios,  
temporibus Iosephi & Pharaonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

# COLLATI=

## ONVM SACRARVM

### LIBER QVINTVS.

DE SACROSANCTIS EC-  
 CLESIIIS, ET IMMVNITATE, PO-  
 testate ac dignitate Ecclesiastica, & quæ  
 circa rerum sacrarum & sacerdo-  
 tum violatores memorabi-  
 lia contigerunt,

*cap. 47. cap. Geneseos. De privilegio & immu-  
 nitate sacerdotum apud Aegyptios, tempo-  
 ribus Ioseph. & Pharaonis.*

#### CAP. PRIMVM.

In toto orbe panis deerat, & oppresserat fa-  
 mes terrâ, maximè Aegyptij & Chanan. B  
 quibus omnem pecuniam congregavit pro  
 reditione frumenti, & intulit eam in arari-  
 um regis. Cumque defecisset emptoribus pre-  
 cium, venit cuncta Aegyptus ad Ioseph, dicēs:  
 da nobis panes, quare morimur coram te defi-  
 ciente pecunias? Quibus ille respondit: Ad-  
 ducite pecora vestra, & dabo vobis pro eis ci-  
 tem, si precium nō habetis. Quæ cum adduxis-  
 sent, dedit eis alimenta pro equis & ouibus,  
 & bobus, & asinis: sustentavitque eos illo an-  
 no pro commutatione pecorum. Venerunt  
 quo-



quoque anno secundo, & dixerunt ei: Non celamus Domino nostro, quod deficiente pecunia, pecora simul defecerunt: nec clam te est, quod absque corporibus & terra nihil habemus. Cur ergo moriemur te vidente? & nos & terra nostra tui erimus, eme nos in seruitutem regiam, & praebe semina, ne pereunte cultore, redigatur terra in solitudinem. Emit igitur terram omnem Ioseph Aegypti, vendentibus singulis possessiones suas pro magnitudine famis. Subiecitque eam Pharaoni & cunctos populos eius a nouissimis terminis Aegypti, usque ad extremos fines eius, praeter terram sacerdotum, quae a rege tradita fuerat eis, quibus & statuta cibaria ex horreis publicis praebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Dixit ergo Ioseph ad populum, En ut cernitis & vos, & terram vestram Pharaon possidet: Accipite semina & serite agros, ut fruges habere possitis. Quintam partem regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familiae & liberis vestris. Qui responderunt, salus nostra in manu tua est, respiciat nos tantum Dominus noster, & laeti seruiemus regi. Ex eo tempore usque in praesentem diem in vniuersa terra Aegypti regibus quinta pars soluitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotum, quae libera ab hac conditione fuit. Audiant qui

*Chrys. hom. 66. in Genes.* nunc viuunt, inquit in hunc locum D. Chryso-  
stomus, quantam olim sacerdotum idolorum curam



ram habuerint, & discant, vt vel saltem partem habeant honorem his, quibus omnium ministerium creditum, & sacerdotio imputati sunt. Si enim errantes illi, & tantam solorum curam habentes, quia ex hoc putant idola magis coli, si ita eorum ministros viderent: quanta non condemnatione digni, nunc imminuunt quod ad illorum spectatum? An nescitis quod honor ad ipsum tantum pertinet? Ne igitur respicias eum cui honor confertur. Non enim propter illum obis quod tuum est facere, sed propter illum tantus sacerdos est, vt & ab illo retributiones operum accipias. Propter quod & dicebat: qui fecerit vni horum, & mihi fecit: & qui accipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem & Prophetæ accipiet. Num à dignitate vel utilitate ministrorum tibi retribuet dominus? Ob alacritatem tuam vel coronat, vel condecorat. Et sicut honor qui propter ipsum impenditur, multum parit fiduciæ. (Propria enim dei facit Deus, quæ in seruos suos collocatur) & illorum contemptus multam è supernis tuis poenam deferet. Igitur sicut suum esse honorem, ita & contemptum dicit: id quod facientes, nunquam negligamus cultum, qui sacerdotibus Dei debetur. Et hæc dico, non tantum illorum rationem habens, quantam veteris charitatis, cupiens vos in omnibus lucriferere. Quid enim tantum das, quantum accipis à domino? Quantum autem cultum affers?

Atta-

Matt. 25.

Matt. 19.



Attamen & pro illo vili, & in eum qui in presenti vita simul dissoluitur, immortales accipies mercedes, & ineffabilia bona. Hæc mente versemus, & properemus ad eorum obsequia, non attendentes sumptum, sed lucrum & accessionem quæ inde nascuntur. Nam si videntes viri alicuius singulari dignitate insignis familiariam, operam damus vt quantum possibile est illi præstemus obsequium, cogitantes quod quæ illi fiunt, eius domino accedant: & quod ille familiaris, vbi significarit patrono suo, maiorem nobis apud eum fauorem conciliet: multò magis hoc erit apud vniuersi dominum. Nam si quis in vulgarem aliquem & abiectum benignitatem & compassionem aliquam declararit: dominum quæ sunt sibi propria faciens, promittit se in regnum introducturum eos, qui aliquid boni illi fecerint, & dicturū: Venite benedicti patris mei, quia esuriui, & dedistis mihi quod comederem: multò magis eos, qui propter Deum affliguntur, & sacerdotio insigniti sunt, si quis obseruauerit, non solùm parem assequetur retributionem, sed multipliciter maiorem, misericordie Deo ex abundantia misericordie semper ea quæ à nobis fiunt, vincente. Ne igitur simus deteriores infidelibus, qui propter idolorum errorem adhuc tantum cultum exhibent illorum famulis: sed quantum distat error & veritas, tantum distat & illorum & Dei sacerdotes. Tam excellentem igitur & honorem

Matt. 25.



orem impendere debemus, ut multo plures  
 supernis nobis retributiones accrescant.

*Zonaras tom. 1. Annalium, Alexander Magnus Pontificem Iudaorum, Pontificalibus vestimentis indutum, reuerenter accedit, adorat & salutatur, omnibusq; Iudaorum postulatis annuit.*

## CAP. II.

Alexander Magnus dum Tyrum obsidebat, per literas à Pontifice Iudaorum petijt, auxilia sibi mitti, & forum præparari exercitui, sibiq; ea dari, quæ pensitare Dario soliti essent. Cùm autem Pontifex se iurando obstrictum esse Dario, ne arma contra illum ferret, dixisset, idq; viuentem illo violatum negasset: Alexander iratus se bellum petiturus Hierosolyma cõminatur: captus Tyro, contra urbem proficiscitur. At Pontifex Ioadus ob regis iram anxius, Deum orat, ne populum destituar, quem Deus in somnis suo animo esse iubet: ac portis apertis & vrbe exornata ipsum cum sacerdotibus solito habitu, populum candidis vestibus regi obuiam prodire. Facit ille, ut iussus erat. Alexandro vrbe appropinquante, cum sacerdotibus & vrbe multitudine in locum quendam prodit, vrbe & vrbs & templum conspiciebatur. Mirantibus autem opinantibus regem iussurum vrbe diripi, & Pontificem occidi: Alexander cum sacerdotes & populum, ut ante dictum est, ornatos vidisset, ac Pontificem hiacinthina  
 &